

**Rector Academiae Rostochiensis Joh. Nicolaus Quistorpius, Theol. D. P. P. Past.  
... Lessum & solemnem Funebrem deductionem, Qvam Matronæ Primariæ Nobili  
& Honestissimæ Margarethæ Schmids, Viri Prænobiliss ... B. Andreae Amsel, ...  
Viduae pientissimæ ejusdem Nati Natæqve & Generi hodie ... parabunt ... invitat :  
[P.P. Sub Sigillo Academiae d. VII. Martii. A. 1713.]**


Rostochii: Weppling, [1713]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn743872185>


Druck Freier  Zugang



**Qvistorp, J. N.,**  
in  
**M. S c h m i d .**  
Rost. (1713.)







95  
RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS  
JOH. NICOLAUS  
OVISTORPIUS,



Theol. D. P. P. Past. & Superintend.

Ad  
Lecturam & solemnem Funebrem  
deductionem,

Quam  
*Matronæ Primariæ Nobilissimæ & Honestissimæ*

MARGARE-  
THÆ Schmid;

Viri Prænobiliss. Consultiss. atqve Excellentissimi

B. ANDREÆ  
AMSEL,

J. U. D. Profess. celeberrimi, Directoris & Consiliarii  
Consist. Duc. *vñ ev aγiς* Viduæ pientissimæ, ejusdem  
Nati Natæqve & Generi  
hodie decentissime parabunt,

*Omnes omnium Ordinum & Dignitatum Cives Academicos & Fautores,  
quo fas est studio peramanter invitat.*

Rostochii, Typis JOH. WEPPLINGI, SEREN. PRINC. & AL. AD. Typ.



## Upreum honoris

ac pietatis officium superiori hebdomade exhibuimus in relictis corporis exuviis ad sepulturam deducendis, Viro Maxime Reverendo atque Excelentissimo DN. ZACH. GRAPIO, Professore Theologo Publ. O. de Academia insigni.

ter merito, & Ecclesiastæ Jacobæo vigilantissimo, longiori vita, si optare licuisset, dignissimo, nondum attingenti ætatem XLIII. annorum. Idem hodie. no die, *Volente summo Numine*, ultimi honoris & pietatis officium præstabimus Pientissimæ Matronæ exacta ætate, vitæ annorum saturæ, quæ ultima hac mundi senecta plenum humanæ vitæ terminum attingit & ad annum ætatis suæ septuagesimum nonum vivendo pervenit, puto *Prænobilissimam & Pientissimam Matronam*, MARGARETHAM natam SCHMIDS, *Viri Illustris Prænobilissimi ac Consultissimi DN. ANDRÆ AMSEL*, Jcti Celeberrimi, Professoris in hac Academia Juris, nec non Consistorii Ducalis Directoris & Consiliarii Spectatissimi &c. quondam Conjugem, & postea relictam Viduam gravissimam. Sic quotidiana experientia, ac omnis dies & hora nobis concionantur de incertitudine, & fragillitate vitæ mortalium, & quod alii quidem ferius, alii citius vitæ suæ terminum contingant, omnes tamen tandem ad eandem metam perveniant. Sic nihil est stabile, firmum & diuturnum. Egre. gia est apud JUNCUM, Stobæo referente, utriusque

que ætatis & senilis & juvenilis comparatio: *Senex*,  
inquit, *emensus magnum Pelagus*, quod vitam esse dico,  
*iusu gubernatoris ad aliquem portum appellens, a navi*  
*diseedit: aut peracto alicubi in stadio certamine, & co-*  
*ronam nactus, certaminibus vale dicit. At juvenis in*  
*medio Mari, non affecutus navigationis terminum, pro quo*  
*vota toties fecerat, interit: aut alicubi, dum in stadio*  
*curreret, collapsus, & hic effertur.* Voluit vir sapientis-  
simus hoc imprimis significare, in longævitate id esse  
boni, ut qui eam consequitur, vel superatis vitæ  
communibus, qui levi etiam vento excitari possunt,  
fluctibus, in locum, tempestatibus tutum, sese recipiat,  
vel etiam, siquidem dum hic vivitur, nunquam sin-  
gulis certamina desunt, divinitus adjutus, exantlatis  
illis ex palæstra lætus, & sibi ex animo gratulans tandē  
discedat. Quo quidem senectutis elogio, ut nostra fert  
opinio, nil potest esse præclarius nihil præstantius.  
Audit illa quidem tristis, querula, morosa, infel-  
licitatis & incommodorum thesaurus, qua adveniente  
deficiant vires, oculi caligent, caput tremat, facies  
ruges, articuli vacillent, crines defluant, dentes  
putrescant, aures obsurdescant, corpus incurvescat;  
sed quæ est humanæ ætatis pars quæ sit infelicitatis &  
incommodorum expers? Nam qualis est ortus no-  
ster? Nudos ex utero profusos terra excipit, pec-  
cati nativa labe contaminatos, mutos, fari nescios  
imbecilles, lacrumantes, prorsusque a belluis non  
differentes, imo belluis in multis inferiores, tace-  
mus sequentes annos, in quibus quid non difficulta-  
tum, quid non infelicitatis cernitur? Et si qui sunt  
mor-

mortales, qui ducti a Spiritu S. veræ pietati a pueris  
fatigantes, quid non in illos defatigationum, peri-  
culorum, perturbationum incurrit? Hæc & multa  
alia cum de cæteris ætatibus verissima sint; tum  
ecquis senectuti soli mala & incommoda affricabit,  
aut eam vituperabit? præsertim cum & ipsa ex sese,  
si nempe non inter vitia senuit, fructum capiat uber-  
rimum. Scit enim, Senium honestum non exiguum esse  
divini favoris indicium, esse insigne hominis orna-  
mentum, esse pietatis præmium, teste *Præcepto IVto*,  
esse malorum portum, quod & ipsi gentiles conce-  
dunt. Boni senis canitiem plus habere auctorida-  
tis, quam juvenum gladium pervulgatum est. Et  
licet senectus plerumque majoribus infestetur, quam  
alia ætas, malis, quid est tamen cur ista tantopere  
curemus ac non multo magis contemnamus; Rugæ  
arant vultum; Animum occupare non possunt.  
Incurvatus est Senex ad terram, natura autem ipsum  
principii sui simulque finis admonet, *terra enim  
sumus & in terram revertemur*. Tremunt caput, at mens  
pia est & immota. Res suas agere nequit in corporali-  
bus, optima mens in senibus meditataur Cœlestia.  
Valetudo, robur, velocitas decrepitem deserunt, vir-  
tus tamen & pietas manet, nec cessura senio, nec  
morti. Multa mala senem excruciant divexantque,  
verum in portu jam stat, mox subducturus navim  
suam in terram quietis, senio ipsum paulatim ad fi-  
nem deducentem, ita ut mors, cum voluptate po-  
tius quam dolore contingat. O rem præclaram,  
& omni veneratione dignam Senium honestum!  
Tali Senio honesto imo illustri dotata fuit Præno-  
bilis

biliffima Matrona Vidua AMSEL; cui jam debita ab  
Optimis & Excellentiffimis liberis perfolvuntur.  
Et quemadmodum P. D. sic dicta Personalia acci-  
pimus ita eadem publicæ luci exponimus.  
Lucem primum aspexit integerrima hæcce Matro-  
na in hac Civitate Rostochienfi A. 1634. d. 10. Sept.  
Patre, Dno. THOMA Schmidt/hujus Urbis Cive pri-  
maro & Centumviro conspicuo, Matre MARGA-  
RETHA von Thienen / Fœmina sui sexus virtuti-  
bus condecoratiffima. Avum habuit Paternum,  
THOMAM Schmidt, Civem & Mercatorem Westpha-  
lum, virum spectatæ fidei & famæ; Avia Paternæ no-  
men ob distantiam loci ignotum est. Avus ejus olim  
Maternus claruit CHRISTIANUS von Thienen, Ci-  
vitatatis hujus Senator meritiffimus, simul ac pru-  
dentiffimus. Avia vero Materna erat MARGA-  
RETHA Papfen / Fœmina itidem sui sexus do-  
tibus haud ignobilis. Hisce præclaris Parentibus sa-  
ta pie def. nostra, prima quoque eis cura fuit,  
ut per lavacrum regenerationis cœtui fidelium ad-  
scripta, a tenera statim ætate, optimorum paren-  
tum ductu, atque sedula educatione, potiffimum  
cultui Divino, omnibusque sincero Christiano de-  
bitis virtutibus, postmodum quoque œconomia,  
aliisque sequiori sexui ornamentis propriis asuesce-  
ret, in quibus omnibus quoque ita profecit, ut fa-  
cile omnium amorem atque benevolentiam sibi con-  
ciliaret. Hisce quoq; allectus Vir Præncibiliffimus, Am-  
pliff. Consultiff. atque Excellentiffimus, jam beatæ  
memoriæ Dnus. ANDREAS AMSEL, J. U. D.

& in Academia Patria Pandect. Prof. Publ. Duc. nec  
non Consistorii Director & Consiliarius gravissimus,  
Vir eruditione ac doctrina domi simul ac foras ce-  
lebratissimus, ac de singulis suis officiis optime me-  
ritus, eam honeste ambire cœpit, eamq; A. 1655. d. 29.  
Maji in thori sociam elegit. Felix fuit hocce,  
matrimonium, tum ob tranquillos & placidos vitæ  
conjugalis dies, ex singulari morum harmonia adeo  
concorditer sibi succedentes, ut ne verbulum qui-  
dem sinistrum per 30. annorum spatium, quibus  
constitit, inter eos unquam exauditum fuerit; tum  
ob Divinam benedictionem, ceu ex quo septem or-  
dine liberi prognati sunt, quorum duo cœlo, un-  
de venerant, restituti, nempe JOHANNES &  
MARGARETHA, reliqui quinque per DEI gratiam  
adhuc superstites sunt, & faxit DEUS ut quam diu-  
tissime superstaturi sint, inter hos ut a filiorum Triga  
ordiamur numerandus primo THOMAS AMSEL,  
J. U. D. & Caesarem Patronus olim Suerini per 15.  
annos in superioribus Megapoleos judiciis dexterrim-  
us juxta ac felicissimus, nunc Consiliarius Cancel-  
lariæ apud Ducem Regentem Megapolitanum,  
Dnum: FRIDERICUM WILHELMUM, Princi-  
pem ac Dominum nostrum longe clementissimum,  
valde Illustris & mericissimus, qui Ao. 1688. in  
matrimonium duxit præclaram & egregiam Virgi-  
nem ELISABETHAM von Thienen/ Filiam CHRI-  
STIANI von Thienen/ Senatoris hujus urbis pru-  
dentissimi, cujus Pater eadem dignitate ac nomine  
claruit, ejusq; jam supra facta mentio, ceu avi pie def.  
no-

nostræ materni, ex quo thalamo iterum vidit pie def.  
nostra haud sine singulari animi voluptate, duos ne-  
potes, puta ANDREAM CHRISTIANUM,  
J. U. D. meritissimum, & GEORGIUM FRIDERI-  
CUM, J. U. C. paternæ & fraternæ virtutis  
æmulum strenuum, quorum hic jam Halæ Saxonum  
studiis suis bene cœptis, ulterius perficiendis va-  
cat, ille vero, si DEO ita volupe fuerit, una cum  
carissimo Parente suo, funus Prænobilissimæ,  
ac Suavissimæ, jam desideratissimæ Aviæ suæ mœ-  
stus profecuturus est; secundus in ordine JOHAN-  
NES AMSEL, J. U. D. & Professor Juris Publ. Re-  
giomontanus famigeratissimus itidem Judicii Au-  
lici criminalis Sac. Reg. Maj. in Prussia Assessor Or-  
dinarius gravisimus, & supremum Regni Bo-  
russici Judiciorum Advocatus dexterrimus, qui  
Ao. 1697. d. 6. Maji sociam thori nactus est Virgi-  
nem præclaram ANNAM MARIAM Seyer-  
abend / Filiam natu maximam DNI. CHRISTIANI  
Seyerabend / Consulis Regiomontani in Civitate  
Kniphowiensi olim meritissimi ac splendidissimi,  
quod matrimonium itidem beavit p. d. nostram,  
binis nepotibus, binisque neptibus, videlicet  
JOHANNA MARIA, & JOHANNA REGI-  
NA, quarum ultima post semestre spatium  
a nativitate sua iterum denata, jam æterno perfun-  
ditur gaudio, JOHANNE GODOFREDO, & CA-  
ROLO FRIDERICO; Quibus succedit ANDRE-  
AS AMSEL, Sac. Reg. Maj. in Prussia supremus  
Auditor in bellicis Regni Prusiæ Judiciis, qui  
Ao. 1701. d. 22. Nov. eidem Familiæ sic dictæ Seyer-  
abend

abend / per Conjugem suam suavissimam , jam  
Anno 1709 d. 6. Octobr. pie defunctam & deside-  
ratisimam ANNAM REGINAM Febr. abend /  
antea prætati beati Dni. Consulis in Civitate Kni-  
phowiensi Filiam in ordine tertiam , matrimonii  
vinculo junctus fuit , hi enim bini fratres binas  
duxere sorores , ex quo conjugio pariter beata no-  
stra binis nepotibus , unave nepte recreata , nem-  
pe CHRISTIANO ANDREA , CAROLO LU-  
DOVICO , & HELENA MARGARETHA  
per DEI gratiam adhuc superstibus , faxit  
DEUS , cum omnibus supra recensitis nepotibus  
quam diutissime superstibus ; Eandem fortunam  
& honorem in generorum biga experta beate de-  
functa nostra : Filia enim uti ANNA nupta An-  
no 1713 d. 3. Maji Viro Prænobilissimo atqve  
Consultissimo Dno. FRANCISCO ERNESTO  
KOHL , J. U. D. & Advocato in superiori-  
oribus Megapoleos judiciis meritissimo ; ita CA-  
THARINA elocata Anno 1703. d. 6. Dec. Viro  
Prænobiliss. & Consultiss. Dn. ALBERTO HEIN-  
SIO, J. U. D. Splendidiss. & Advoc. haud imèrito. Chri-  
stianismum quod attinet Matronæ nostræ clarissimæ,  
fuit is plane eximius , ipsaque DEO , ejusque cultui  
sedulo semper litavit , adeo ut nil committeret un-  
quam eorum , quæ probro sibi & dehonestamento esse  
possent : Publicis & sacris concionibus mira semper  
interesse devotione visa fuit. Sed & domi deprehen-  
sa cum suis assidue pietatis exercitia instituit , nec  
quicquam, quod muneris ratio imponeret , prius au-  
spicata, quam DEO reddidisset suum. Certe omni-

una

um calamitatum, præprimis bellicarum & pestiferarum, hisce novissimis temporibus ita acerbe nos exagitantium, causas, non ex alio quam impietatis fonte arcescebat. Sed neque proximum opis suæ indigum unquam destituit, potius pro facultate & viribus libenter sublevavit. Cæteræ quoque dotes pie def. nostræ majores sunt, quam ut a nobis satis celebrari, laudarique possint, proinde nos ad extrema saltem ejus conferimus, Beatam nostram in Compendio consideraturi. De morbo videri possunt *Viri Pranobilissimi, Ampliss. Excellentiss. & Experient. ss. Du. Doct. DETHARDINGII*, Professoris & Medici in hac Alma & Civitate celebratissimi ac felicissimi, verba, quæ ita se habent: *Morbum pie Defuncta, quod con- cernit, ut erant motus secretionibus & excretionibus pro vita jugiter continuanda destinati, languidi admodum idq. ex Senio; abundans seri portio diverticula sibi paravit in pedibus, hos distendendo & reddendo tumidiores. Ast cum superstes ambulandi potentia hinc plane periret & sensum magis motus musculorum deficeret, seri collectio ipsa confinia pectoris occupavit, asthma inferendo humidum. Quantumvis vero lenioribus tum lubricantibus ac diureticis, quum grate expectorantibus fuerit solatum per multos annos allatum, deficiens attamen, magis magisque evanescebat, vitalium motuum apparatus, Medicinam silere voluit, & animam, ut ad cælites properet, grate commo- nescit. Quoniam itaque pie def. nostra per aliquot annos conciones publicas frequentare non potuit, lecto semper affixa, eo ardentius pias suas meditatio- nes domi habuit, præeuntibus filiabus supra nomina-*

B

tis

tis charissimis suis, quæ per alternationes fere ultimis ab hinc annis continuas, dies noctesq; ejus curam habere haud intermiserunt. Frequenter quoque interea, dum publicæ devotioni ei interesse haud licuit, usâ est Sacra Synaxi, ceu maxime salutari viatico, per manus & dispensationem Viri plurimum Rever. & Ampliff. Dni, *HENRICI BECKERI*, Pastoris ad ædes Jacobæas præclarissime meriti, quo etiam ante aliquot septimanas ab abitu suo sumpto, immotum ac firmum in Redemptorem suum animum a terra defixit, quod satis superque innuere visa sunt crebra illa suspiria, totiesque iteratæ preces, quas potissimum in postrema nocte, quamvis debilitate corporis fracta, balbutienti lingua emisit. Tandem circa horam fere sextam matutinam die 30. Januar. anno ætatis suæ septuagesimo nono, inque eo, mense quinto, die vigesimo, postquam ultima ejus suspiria in hæc erupere verba: *Huff mir ritterlich ringen / deine Hand mich halte fest / daß ich mag frölich singen / das consummatum est, quod germanice repetiit, es ist vollbracht* placide in DOMINO obdormivit. Sic hæc beatissima Matrona ad illam ætatem accessit, quam *Moses* ille Vir DEI Pl. XC. v. ii exprimit: *Indiebus ipsis annorum nostrorum sunt septuageni anni, aut ut simus valentissimi, octogeni anni; Etiam Excellentissimum eorum laboriosum est, & molestum, quo festine exciso, avolamus.* In qua tam honorabili ætate, & hisce ultimis mundi seculis valde rara, multa quidem, quæ noluit, vidit. Est enim vita nostra velut quædam

dam peregrinatio, quæ quo longior est, hoc plures ærumnas calamitates, difficultates, & molestias experitur ab aere, a tempestate, a vento, a pluvia, ab æstu & squalore &c. quales longa vita instar longæ peregrinationis secum trahit. Interim tamen Dei Patris benignitas illa vitæ longæ tædia & molestias, inmundo minime vulgares, æterna vicissitudine lætitiæ ac felicitatis illi clementissime temperavit; Nam & Maritum habuit, ut supra notatum, Virum, ut verbo uno dicam, Excellentissimum AMSELIUM, de hac Academia, imo de tota Provincia Mecklenburgica, multis annis præclarissime meritum. Hunc virum optimum, & laudatissimum maritum vidit in svavi & concordi Conjugio integris *triginta annis*. Quod ipsum sane in humanæ felicitatis parte non postrema jure merito ponimus. Hoc tali ac tanto Marito orbata, licet acerbissimum vulnus inflictum sibi senserit: Tamen illud etiam Dei benignissimi medica & salutaris manus paulatim ad cicatricem adduxit, suffectis in B. Mariti locum filiis omnibus eruditissimis, publico, tam in Patria, Serenissima Ducali Aula, quam extra Patriam, in re tam togata, quam sagata, summa cum laude hodie inservientibus & in suis illustribus familiis florentibus, filia busque optimis, Eruditissimis Doctoribus, Causarum Patronis fulgidissimis, elocatis. Quæ sane felicitas hæc paucissimis mortalium in mundo contigit atq; ut perpetua sit animitus vovemus. Sic nostra Beatissima Anno ætatis suæ LXXIX. in eo mense quinto, die vigesimo, cum bonum certamen certasset & fidem

dem ac bonam conscientiam retinisset, cœlestis vi-  
atici particeps facta, dissolvi & cum Christo esse unice  
cupiens, in ejus tandem manus, ratione in tanta ad-  
huc ætate integra, & intellectu sibi constante, inter  
pios hymnos, & devotas ad DEUM preces, animam  
suam commendans, placide in Domino suo obdor-  
mivit. Funus huic Matronæ pientissimæ hodierno  
die in *templo Jacobo sacro Hora a meridie Ima* cum Deo  
fiet. Romani circa hocce anni tempus, ex Romuli  
instituto. Februalia non tantum, sed & Lemuria sa-  
cra peragebant, spiritibusque quos redire credebant,  
mensas conquiritissimis epulis instruebant, ut ex  
domibus Lemures fugarent. Vos multo rectius  
facietis, Fautores O. O. Honoratissimi si hodierno  
die exequialia sacra peregeritis, & exuvias pie  
defunctæ clarissimæ ad conditorium frequentes,  
in honorem splendidissimæ AMSELIÆ FAMILIÆ  
comitari sateritis, ac pro avertendis pœnis,  
peccatis nostris promeritis, DEUM  
rogaturi sitis,

P.P. Sub Sigillo Academiae  
d. VII. Martii. A. 1713.











dam peregrinatio, quæ quo lon-  
gæ peregrinationis secum trahi  
Dei Patris benignitas illa vitæ l-  
lestias, immundo minime vulga-  
dine lætitiæ ac felicitatis illi cler-  
vit; Nam & Maritum habuit, ut sup-  
ut verbo uno dicam, Excellentissi-  
de hac Academia, imo de tota Pro-  
gica, multis annis præclarissime  
virum optimum, & laudatissim-  
in svari & concordi Coniugio in-  
Quod ipsum sane in humanæ fel-  
postrema jure merito ponimus.  
Marito orbata, licet acerbissimur  
sibi senserit: Tamen illud etiam  
medica & salutaris manus pau-  
adduxit, susceptis in B. Mariti lo-  
eruditissimis, publico, tam in  
Ducali Aula, quam extra Patria-  
ta, quam sagata, summa cum lau-  
tibus & in suis illustribus famili-  
busque optimis, Eruditissimis Do-  
Patronis fulgidissimis, elocatis.  
hæc paucissimis mortalium in m-  
ut perpetua sit animitus vovemu-  
sima Anno ætatis suæ LXXIX.  
die vigesimo, cum bonum certa

oc plures  
molestias  
a pluvia,  
star lon-  
n tamen  
& mo-  
vicissitu-  
tempera-  
, Virum,  
ELIUM,  
klenbur-  
Hunc  
um vidit  
ta annis.  
e non,  
ac tanto  
nffictum  
gnisimi  
atricem  
omnibus  
enissima  
n toga-  
servien-  
us, filia  
ufarum  
felicitas  
igit atq;  
a Beatif-  
quinto,  
let & fi-  
dem

